COMMENTATIO

DE

MAGISTRIS VETERVM ROMANORVM

QVA

VIRVM

NOBILISSIMVM AC CLARISSIMVM

IOANNEM FRICKIVM

DE

SVMMA PHILOSOPHIAE DIGNITATE

GRATVLATIONE PROSEQVITVR

SVO FRATRVMQVE NOMINE

IO. ERNEST. IMMAN. WALCHIVS.

IENAE EX OFFICINA RITTERIANA

A. O. R. MDCCXXXXV.

OMNI iure, VIR CLARISSIME, iam in gratulandi partes cum omnibus, qui Tibi bene cupiunt, præsertim fratribus meis, venio, postquam in Te summos sapientiæ humanæ honores, præmia tuæ industriæ ac virtutis, grauissimi ordinis philosophici patres contulerunt Tibique, quibus longo abhinc tempore dignus fuisti, iura magistri impertiuerunt. Maxime honorificum atque amplum apud veteres romanos fuit *magistri* nomen, siue eos, qui hoc vtebantur; siue priuilegia ipsa, cum magistri dignitate coniuncta, apud me velim reputare. Ita enim illos adpellatos fuisse, confirmant prisca romani æui monumenta, qui præ aliis eximia rerum peritia prudentiaque præditi atque ad id apti habebantur, vt negotiis officiisque publicis ac priuatis præficerentur quique sapientiam suam ac studium, publicæ prospiciendi saluti, præclaris iam testatum fecerant documentis. Nihil in præsenti commemorare volo de illustri illo, quod *magister equitum* obibat, munere: *a*) nihil de ipso dictatore, quem *magistrum populi* nominatum fuisse, VARRO,

a) conferas: FRANC. HOTTOMANNVM de *magistrat. rom. libr.* I. *tom.* II. *thesauri antiquit. rom. Grævii*, p. 1871. CAROL. SIGONIVM de *antiquo iure ciu. rom. libr.* I. *cap.* 20. WOLFG. LAZIVM *comm. reipubl. rom. libr.* IV. *cap.* 9. CLAVD. PRAEVOTIVM de *magistrat. rom. cap.* VIII. SERTORIVM VRSATVM de *not. rom. tom.* XI. *thesauri* memorati p. 696. aliosque, a SAM. PITISCO *lex. ant. rom. tom.* II. p. 513. memoratos.

RO, *b*) CICERO, *c*) SENECA, *d*) FESTVS *e*) aliique *f*) locupletiſſimi ſunt teſtes. Nihil denique de cenſoribus iam tradere, animus eſt, de quibus ex CICERONE *g*) aliisque ſatis compertum habemus, eos *magiſtros morum* eſſe adpellatos. Tacebo etiam de multis aliis, quorum adcurata narratio modum epiſtolæ ſuperat. Dicam tantum de nonnullis, vsque dum aptior, de iis commemorandi, occaſio ſeſe offeret.

De *magiſtris curiæ* ex PLAVTO *h*) atque aliis priſcis, quos vetus Latium tulit, ſcriptoribus ſcimus, maxime honeſtum atque conſpicuum fuiſſe illorum munus ipſosque curiis ita præfuiſſe, vt, quod ad ſalutem ac emolumentum earum pertinebat, ſedulo curare debuerint. *i*) Ab his ſeſe diſtinguunt *vicorum magiſtri*, qui etiam mox ſimpliciter *magiſtri*: mox *vicomagiſtri*; aut *vicorum curato-*

b) de *lat. lingua, libr.* IV. *cap.* 14. apud DIONYS. GOTHOFREDVM *auctor. latinæ linguæ* p. 15.

c) de *fin. bon. et mal. libr.* III. *cap.* 22.

d) *epiſt.* CVIII. *tom.* II. *operum* p. 538. edit. GRONOVII.

e) de *verb. ſignif.* p. 121. laudatæ GOTHOFREDI *auctorum lat. lingu.* collectionis.

f) ex recentioribus vide: GVIL. BVDAEVM *pandect.* p. 255. IVST. LIPSIVM de *magiſtrat. rom. cap.* XVII. *tom.* III. *operum* p. 1455. STEPH. PIGHIVM *annal. rom.* p. 83. IO. ALB. FABRICIVM *bibliogr. antiquar.* p. 493. IO. OLEARIVM *diſſ. de dictatore* et IO. IAC. MVLLERVM *diſſert. de imperio dictatoris*, Ienæ MDCLXXXII.

g) *epiſt. ad famil. libr.* III. *ep.* 13. adde PAVLL. MANVTIVM *not. in Cic. ep. ad fam. libr.* IV. *ep.* I.

h) *aulul. act.* I. *ſcen.* 2. p. 219.

i) de his magiſtris adeas: FRID. TAVBMANNVM *not. ad Plauti aulul. act.* I. *ſcen.* 2. p. 176. ADR. TVRNEBVM *aduerſar. libr.* XXIV. *cap.* 23. *tom.* III. eius *operum*, p. 834. IAN. GRVTERVM *theſ. crit. tom.* I. p. 263. Magiſtri hi pecuniam, quam imperatores, candidati aliique populo donabant, quum diſtribuerent, recte IS. CASAVBONVS *not. ad Suetonium vit. Auguſt. cap.* CII. p. 305. edit. GRAEVII obſeruat, plurimam munerum iſtorum, magiſtris iſtis impoſitorum, partem ad *vicomagiſtros* ſub imperatoribus translatam fuiſſe. Nugantur, qui magiſtros curiæ eosdem cum *curionibus* fuiſſe, adfirmant. Hos enim curiarum ſacris præfuiſſe, luculenter oſtendunt: NICOL. BERGIERIVS de *viis militar. libr.* V. *ſect.* 8. p. 562. *tom.* X. *theſauri ant. roman. Græuii*: CLAVD. PRAEVOTIVS de *magiſtrat. rom. cap.* I. HENR. DODWELLVS *prælect. Cambden.* p. 702. ANT. VAN DALE *diſſertationibus* IX. *antiquitat. et marmor. illuſtrand. inſeruientibus* p. 86.

ratores nominantur, id quod testimonia MARTIALIS, *k*) SVETONII, *l*) PVBL. VICTORIS *m*) aliorumque satis et abunde confirmant. Ortum suum Augusto debent, qui, quum vrbem in XIV regiones et CCCXXIV vicos, si satis certa est in *fragmento Rufi* lectio, diuisit, illis, testibus SVETONIO *n*) ac DIONE, *o*) suos curatores; his vero *magistros* dedit ac constituit, vt isti magistri commoda atque opportunitates vicorum augerent atque ad omnia suas conferrent cogitationes, quae ad statum eorum florentem conseruandum valerent: pecuniam, singulis tribubus ab imperatoribus dono datam, vel in communem impenderent salutem; vel ea pauperes sublenarent ac curarent, vt in omni, cui praeerant, vrbis portione legibus rite fieret satis. *p*)

k) *libr.* X. *epigr.* 79.

l) *vit. Aug. cap.* XXX. *vit. Tib. cap.* LXXVI. *vit. Claud. cap.* XVIII. quem vltimum locum LAEVIN. TORRENTIVS falso de ordinariis magistratibus interpretatur. Repugnat ei tota auctoris sententia: adde PETR. FABRVM *semestr. libr.* I. *cap.* 5. p. 29. sq. et SAM. PITISCVM *notis ad eundem Suetonii locum*, p. 668.

m) *libr. de regionibus vrbis, tom.* III. *thesauri antiquit. rom. Graeuii*, p. 52.

n) *vit. Aug. cap.* XXX. §. I. p. 223. edit. PITISCI.

o) *libr.* LIV. *ad annum* DCCLVII. p. 554.

p) de his vicomagistris eorumque sub Augusto origine DIO *libr.* LIV. *ad annum* DCCXLVII. p. 554. et SVETONIVS *vit. Aug. cap.* XXX. §. I. videndi sunt. IS. CASAVBONVS *not. ad hunc Suetonii locum* lapsus est, vbi vicomagistros antiquissimis iam reipublicae temporibus extitisse, pronuntiauit. Sed, vti eodem loco sese prodit, confundit *viocuros*; siue viarum curatores cum vicorum magistris. Illorum mentionem faciunt: CICERO *libr.* I. *ep.* I. *ad Atticum* ac PLINIVS *libr.* V. *ep.* I. Et vti ex his aliorumque veterum scriptorum testimoniis constat, hi viocuri longe ante imperatores fuerunt, ea de caussa electi, vt viarum reparandarum ac conseruandarum curam haberent, quum aediles ob alia, quibus eorum munus augebatur, negotia isti officio non prorsus satisfacere possent. Videantur de vicomagistris: IS. CASAVBONVS, LAEVINVS TORRENTIVS et SAM. PITISCVS *not. ad Sueton. vit. Aug. cap.* XXX. PETR. FABER *semestr. libr.* I. *cap.* I. ONVPHR. PANVINIVS *descript. vrbis Rom. tom.* III. *thes. ant. rom. Graeuii* p. 327. FRANC. HOTTOMANNVS *de magistr. tom.* II. *thes. eiusd.* p. 1890. FAM. NARDINVS *Rom. vet. libr.* III. *cap.* 4. *tom.* IV. huius *thesauri* p. 989. GVID. PANCIROL-

INTER eos, quibus apud romanos vectigalium cura erat commissa, et varii occurrunt, quibus *magistrorum* nomen fuit adsignatum. Sic *magister societatis* adpellabatur, qui publicanorum; siue eorum, qui vectigalia de populo romano conduxerant, societati erat praepositus. Curabat, vt vectigalia rite soluerentur: negotia omnia recte

CAROLLVS *descript. vrb. Rom. tom.* III. *memorati thesauri* p. 271. de viocuris autem ADR. TVRNEBVS *aduersar. libr.* XXII. *cap.* 17. p. 726. BARN. BRISSONIVS *select. ex iur. ciuil. antiquit. libr.* IV. *cap.* 12. LAVRENT. THEOD. GRONOVIVS *marmor. basi colossi Tiberio erecti, cap.* VII. *tom.* VII. *thes. ant. graec. Gronouii* p. 462. PETR. BVRMANNVS *de vectig. pop. rom. cap.* XII. p. 201. GVID. PANCIROLLVS *de magistrat. municip. cap.* XXX. SAM. PITISCVS *lex. ant. rom. tom.* I. p. 610. Numerus horum magistratuum pro temporum ratione erat diuersus, quod ex variis lapidibus priscis, vbi inter se conferuntur, satis patet: vid. FAM. NARDINVM *Rom. vet. libr.* III. *cap.* 7. et SAMVEL. PITISCVM *lex. ant. rom. tom.* II. p. 514. et *tom.* III. p. 716. inprimis ONVPHR. PANVINIVS *descr. vrb. Rom. tom.* III. *thes. ant. rom. Graeuii* p. 283. sq. consulendus est, qui diligenter numerum horum magistrorum in singulis vrbis regionibus obseruauit. Ex SVETONIO *vit. Tib. cap.* LXXVI. §. 3. constat etiam, vicomagistros legata imperatorum administrare ac pecuniae summam vel in communia cuiuscunque tribus commoda adhibere; vel in tenuissimos huius tribus homines distribuere debuisse. Hoc loco per *legatum vicomagistrorum* illa pecunia, quae generatim singulis vicis destinata erat in legato; non autem singularis quaedam largitio, quae speciatim ad magistros vicorum pertinuerit, est intelligenda, id quod varii sine ratione credunt, et SVETONIVM de legato, vicomagistris proprie facto, loqui, adfirmant. Non penitus tamen negauerim, alibi nonnunquam contigisse, vt per eximiam imperatorum erga vicomagistros beneuolentiam istis legati pars destinata fuerit, id quod THOM. REINESIVS *synt. inscript.* p. 130. ex nonnullis in GRVTERI *thesauro inscriptionum* exstantibus inscriptionibus comprobauit. Ex hoc vero SVETONII loco id elici non potest. Imperatorum enim eiusmodi legata duplicia fuerunt: alia ad singulos vicos speciatim; alia vero ad vniuersum populum generatim spectabant. Sic etiam Tiberius duo fecit legata, quorum alterum ad singulos vicos atque, quae in illis erat, plebem; alterum vero ad populum totum pertinebat. Illud *legatum vicomagistrorum*; hoc vero *legatum plebis* vocat. Saepe enim voces *plebis* & *populi* in veteribus ingenii monimentis confunduntur: videas

recte adminiſtrarentur ac ſocietatis felicitas eſſet firma eiusque fierent acceſſiones. Socios, vti ſenatum, conuocandi: de debito ſocietatis paciſcendi: tabulas ſeruandi atque alios *promagiſtros* in prouincias ablegandi, facultatem habebat, quæ omnia ex CICERONE, *q*) SVETONIO *r*) et aliis ſatis patent ac diligenter a CAROL. SIGONIO, *s*) LAEVINO TORRENTIO, *t*) FRANCISCO HOTTOMANNO, *u*) PETRO BVRMANNO, *x*) IO. GEORG. GRAEVIO *y*) et IO. GOTTL. HEINECCIO *z*) ſunt commemorata. *a*)

HIS

videas eundem *vit. Neron. cap.* LVII. §. 2. MARTIALEM *libr.* VIII. *epigr.* 15. PLINIVM *panegyr. cap.* XXV. aliosque. Huc et referenda ſunt alia effata SVETONII, nimirum *vit. Claud. cap.* XXV. §. 13. et *Domit. cap.* IV. §. 14. vbi *popularia* ea loca in theatro vocantur, de quibus plebs ſpectabat: adde IVSTVM LIPSIVM de *amphitheatro, cap.* XIV. *tom.* III. *operum* p. 1031. PETR. FABRVM *ſemeſtr. libr.* II. *cap.* 6. p. 74. Nonnunquam *plebs* opponitur *populo* ac per illam viliſſima incolarum vrbis pars intelligitur: alibi *plebs* pro *populo* vſurpatur eique tribus opponitur. Legendi ſunt ISAAC. CASAVBONVS et SAM. PITISCVS *not. ad Suet. vit. Aug. cap.* CII. p. 381. Quod ergo hoc loco Suetonius de vicomagiſtrorum legato commemorat, id de illis legatis intelligendum eſt, quæ TACITVS *annal. libr.* I. *cap.* 8. §. 31. plebi; ipſe vero SVETONIVS *vit. Aug. loco excitato* tribubus facta fuiſſe, ſcribunt. Hos *vicomagiſtros*, vti pecuniæ legatæ; ſic etiam frumenti, populo donati, adminiſtratores fuiſſe, patet ex inſcriptione apud GVID. PANCIROLLVM *dign. imp. occidentalis, cap.* XVII. *tom.* VII. *theſauri antiqu. rom. Græuii* p. 1817.

q) *orat. pro Planco, cap.* IX. *in Verr. orat.* II. *cap.* 74. et 75. *orat.* III. *cap.* 71. *epiſt. ad fam. libr.* XIII. *ep.* 9. et 65. *libr.* V. *ad Attic. ep.* 15. *libr.* X. *ep.* 10. *orat. pro Manilio, cap.* I I. adde PETR. BVRMANNVM *diſſ. de vectig. cap.* IX.

r) *vit. Aug. cap.* XXIV. et *vit. Veſpaſ. cap.* I.

s) de *ant. iur. ciu. rom. libr.* II. *cap.* 8. p. 229.

t) *not. ad Sueton. vit. Aug. cap.* XLII.

u) *not. ad Ciceron. orat. in Verrem cap.* LXX. p. 690. edit. GRAEVII.

x) de *vectig. pop. rom. cap.* IX. p. 134.

y) *not. ad Ciceron. orat. pro leg. Manil.* p. 9.

z) *ſynt. ant. rom. iurisprud. illuſtrantium, libr.* III. *tit.* 23. p. 133.

a) inter locationes publicas principem fere ſibi vindicant locum vectigalia et vltro tributa. Vtraque cenſores in ſingula luſtra; vel quinque annos locare ſolebant: *leg.* III. §. 6. D. *de iure fiſci*: *leg.* VII. C. *de*

locato

His magistris adiungo *magistros scripturae*, qui etiam in eorum censum cadunt, quorum fidei vectigalium cura tradita erat. Praepositi fuerunt illis publicanis, qui pascua, agros incultos, siluas, saltus aliaque eiusmodi loca, ex quibus magnam aerarium romanum pecuniae vim sumsit, de republica conducere; tunc vero pastoribus elocare atque certam pecuniae summam, quae *scriptura* vocabatur, reipublicae pendere solebant, vti constat non solum ex antiquioribus: CICERONE, *b*) PLAVTO *c*) et PLINIO; *d*) verum etiam ex recentioribus: CAROL. SIGONIO, *e*) IVL. CAESAR. BVLENGERO, *f*) FRID. TAVBMANNO *g*) atque PETRO BVRMANNO. *h*) Hi *magistri* tam *societatis*; quam *scripturae* sub libera

locato et conducto. Haec vectigalium conductio quum res magni impendii esset, praesertim, quoniam totius alicuius prouinciae vectigalia simul locari solebant, non vnus solus in se tantam rem suscipiebat; sed plures, collocatis suis opibus, in societatem coibant. Pro modo autem pecuniae, quam aliquis eo contulerat, et vectigalis pars, quam accipiebat, erat comparata. Qui igitur huic societati praeerat, *magister societatis* nominabatur. *Promagistri* in prouinciis vices huius magistri gerebant, cuiusmodi omnes fere illi fuerunt, qui nomine τελώνων in sacris occurrunt tabulis. Legendi sunt: CLAVD. SALMASIVS *foenor. trapez.* p. 243. CAROL. SIGONIVS de *antiqu. iure rom. libr.* II. *cap.* 4. IVL. CAES. BVLENGERVS *de vectigal. cap.* III. IOANNES LIGTHFOOTVS *horis ebr. et talmud. ad Luc. cap.* XIX. §. 2. *tom.* II. *oper.* p. 555. SAM. PITISCVS *not. ad Sueton. vit. Aug. cap.* XXIV. §. 3. Iste *magister* cum *mancipe societatis*, qui et a CICERONE *orat. pro Planco cap.* XIII. *auctor societatis* vocatur, non confundi debet. Mancipes vectigalia conducebant: praedes pro mancipibus fideiubebant: socii in societatem tantum recipiebantur. Exponunt vberius de hoc argumento: FR. HOTTOMANNVS *not. ad Ciceronis orat.* III. *in Verrem, cap.* LXXIV. PETR. BVRMANNVS *loco memorato* et IO. GOTTL. HEINECCIVS *synt. ant. rom. iurisprudentiam illustrant. libr.* III. *tit.* 23. §. II. p. 134.

b) *libr.* V. *ad Attic. ep.* 15. *libr.* XIII. *ad fam. ep.* 65. *orat. pro leg. Manil, cap.* VI.

c) *Trucul. act.* I. *scen.* 2. v. 42.

d) *libr.* XXIX. *cap.* 3. adde ad hunc locum CLAVD. SALMASIVM *exerc. Plin.* p. 262.

e) de *ant. iur. ciu. rom. libr.* I. *cap.* 16.

f) de *vectigal. cap.* II.

g) *not. ad Plaut.* p. 1395.

h) de *vectig. cap.* IV. p. 39. adde GISB. CVPERVM *not. in* LACTANTIVM de *mortibus persequutor. cap.* XXIII.

ra republica vectigalibus erant præpositi; quum vero sub imperatoribus totus reipublicæ romanæ status, et cum ipso vectigalium ratio plane subuerteretur ac in aliam traduceretur formam, etiam horum magistrorum cessabat munus illudque quodam modo ad *magistrum census*, qui præter alia officia frumentariis; siue iis, qui vectigalia colligebant, erat præfectus, *i*) transferebatur. De *magistro auctionis*, qui etiam *magister bonorum vendendorum* vocabatur, CAROLVS SIGONIVS, *k*) IAN. PASSERATIVS, *l*) WOLFG. LAZIVS, *m*) ADR. TVRNEBVS *n*) et PETR. BVRMANNVS *o*) referunt, quod prætor cum ea de caussa constituerit, vt bona debitorum proscriberet: ista venderet hancque in rem in compitis celebribus tabulam adfigeret.

FINES omnino ac modum epistolæ transgrederer, vbi orationem ad tam varios ac diuersos *magistros collegiorum* atque *corporum*, *p*) quorum haud raro in antiquioribus lapidibus facta est mentio, reuocare vellem. Præterea enim, quod collegia in vrbe sub præfecto vrbis; in coloniis vero sub præsidibus; aut quicun-

XXIII. p. 189. edit. BAVLDRI, CHRIST. FRID. FRANCKENSTEINIVM de *ærar. pop. rom. obseru.* III. in *Græuii syntagm. variar. diss* p. 632. et IAC. GVTHERIVM *de offic. dom. Aug. libr.* III. *cap.* 17.

i) frumentarii qui fuerint, docent: GVID. PANCIROLLVS *not. dign. imper. orient. cap.* LXV. SERTOR. VRSATVS de *notis rom. tom.* XI. *thesauri ant. rom. Græuii* p. 227. ADR. TVRNEBVS *aduersar. libr.* XXV. *cap.* 17. RATB. HERM. SCHELIVS *not. in Polyb. tom.* X. *thesauri memorati* p. 1227. CLAVD. SALMASIVS *not. ad Spartian.* p. 107. ISAAC. CASAVBONVS *not. ad Suet. vit. Aug. cap.* XXVII. p. 159. et PETR. BVRMANNVS *de vectigal.* p. 141. de magistris vero census, qui his frumentariis præfecti erant, legas: CLAVD. SALMASIVM et ISAAC. CASAVBONVM *not. ad Spartiani vit. Adr. cap.* 11. GVID. PANCIROLLVM *not. dign. imp. occid. cap.* X. p. 1810. IVL. CAES. BVLENGERVM *de vectigal. cap.* XIII. IAC. GVTHERIVM *de officiis dom. Aug. libr.* III. *cap.* 9. aliosque.

k) *de iudiciis, libr.* I. *cap.* 8.

l) *not. ad Ciceron. orat. pro Publ. Quint. cap.* XIV. p. 63. ed. GRAEVII.

m) *comm. reipubl. rom. libr.* IV. *cap.* 9.

n) *aduersar. libr.* XXIII. *cap.* 34. *tom.* III. p. 807. eius *operum.*

o) *not. ad Quinctilianum instit. orator. libr.* VI. *cap.* 3. p. 543. edit. BVRMANNI.

p) vide SYMMACHVM *libr.* X. *ep.* 27. et ex recentioribus THOM. REINESIVM *inscription.* p. 60. 134. 144. 231. MARC. VELSERVM *oper.* p. 277. et CHR. GOTTL. SCHWARZIVM *miscell. polit. humanitat.* p. 55.

que fummi magiſtratus nomine ibi conſtituti erant, poſita fuerint, habebant etiam tam ſuperiores; quam inferiores magiſtratus, vnde de collegiorum *patronis*, *curatoribus*, *præfectis*, *prioribus*, *defenſoribus*, *quinquennalibus*, *officialibus* aliisque in inſcriptionibus multa legimus. Ad *magiſtros collegiorum*, qui inter eiusmodi magiſtratus erant, quod ſpectat, iidem cum decurionibus, conſulibus artium, officialibus ac prioribus fuiſſe, videntur. *q*) Cura eorum potiſſimum ea erat, vt omnia rite in illorum collegio adminiſtrarentur: legibus tam publicis; quam priuatis, quæ ſpeciatim ad eorum collegium pertinebant, a quolibet fieret ſatis: rationes accepti et expenſi ducerent ac diligentiam ſuam in eo figerent, vt reipublicæ quouis modo vtilitas adferretur. In coloniis atque municipiis *r*) itidem varios deprehendimus magiſtros. Quis neſcit, eos in coloniis fuiſſe *magiſtros* adpellatos, qui in vrbe dictatorum munere ſunt functi? *s*) Quam honorati fuerint *magiſtri pagorum*, *t*) nemo non ignorat. Taceo

q) Hi magiſtri ſæpe *quinquennales* vocantur; quoniam per ſingula luſtra; ſiue quinque annos eligi ſolebant. Plures in vno collegio magiſtros fuiſſe, inſcriptiones ſatis docent, vbi MAG. I. MAG. II. MAG. III. cet. legimus. SERTORIVS VRSATVS tamen de *notis rom.* p. 848. iſtos numeros ad ſæpius adminiſtratum et ſuſceptum munus refert ac per illos magiſtrum, prima, ſecunda, tertia, cet. vice creatum, intelligit. Vtraque interpretatio habet, quo ſeſe tueri ac defendere poteſt.

r) *magiſteriorum municipalium* mentionem facit SVETONIVS *vit. Aug. cap.* II. ac per iſta quosuis magiſtratus, qui in municipiis fuerunt, intelligere, videtur: adde LAEVINVM TORRENTIVM *not. ad hunc locum* et VALENT. CHIMENTELLIVM *marmore Piſano de bonore biſellii cap.* VI. vbi BVLENGERVM refutat, qui hæc SVETONII verba de duumuiri dignitate expoſuit.

s) apud SERTORIVM VRSATVM *de not. rom.* p. 848. legimus: MAG. SEPIN. id eſt: *Magiſter Sepinatium.* Sepinum enim oppidum in Samio, Romanorum colonia, fuit. Ibi etiam MAG. MVN. RAVEN. ſignificare *magiſtrum municipii Rauennatis* credo. Inepte enim MANVTIVS per iſtas litteras *magiſtrum munerum* intelligit, cuius officii, quoad ego quidem ſcio, nec in vetuſtis lapidibus; nec ingenii monimentis facta eſt mentio.

t) Inclinatiori æuo hos magiſtros *magiſtratos pagorum* adpellatos eſſe, inſcriptiones docent, indicio deterioris et ad interitum ruentis latinitatis, quæ pro termino *terminatus:* cruſtulo *cruſtulatus:* gladiatore *gladiatus* extulit, et ſexcenta alia fœde et miſere immutauit: conferas

SPAR-

Taceo quoque de variis collegiorum magistris, qui in eiusmodi coloniis atque municipiis fuerunt.

NONNVLLI ex iis, qui ludis atque spectaculis, rite edendis, præfecti erant, pari modo honorificam illam adpellationem sibi vindicarunt. Qui ludos gymnicos curabant ac præmia victoribus dabant, *magistri* adpellabantur; *u*) hac autem ratione iidem fuisse, videntur, qui nonnunquam in lapidibus atque veterum libris *iudices, x*) *brabeutæ, y*) ἀγωνοθέται, ἀθλοθέται, προστάται, ἐπισκοποὶ *z*) dicti sunt. De *magistris gladiatorum : a*) *magistris aere fracta, b*) quorum MARTIALIS *c*) mentionem fecit: *magistris pantomimorum : d*) *factionum e*) in ludis circensibus: *plausus*

SPARTIANVM *vit. Ael. Veri, cap.* VI. p. 231. Qui fuerint *pagorum magistri*, ipsum eorum nomen haud difficulter prodit. Omnes enim fere coloniæ certum agri modum a republica acceperunt, in quo iurisdictio libera ipsis fuit concessa. Ad istam iurisdictionem quum et pagi pertinerent, ii, quos quælibet colonia pagis istis præfecit, *magistri pagorum* adpellabantur. Plura adfert CLAVD. SALMASIVS *not. ad Trebell. Poll. de* XXX. *tyran.* p 318.

u) conf. SVETONIVM *vit. Ner. cap* XII. §. 10. Hoc loco Suetonius ob nimiam, quam fere semper sectatur, breuitatem quum difficulter est intelligendus, interpretibus argumentum, ingenia exercendi, dedit. Ea sententia videtur optima, qua consulares, forte lectos, huius certaminis magistros fuisse et sedem prætorum occupasse, adfirmatur. TORRENTII tamen lectio etiam non omni probabilitate est destituta. Vti enim consulares; sic et prætorii ludis præsidere potuerunt; præsertim quum prætores sæpe ludis præfuisse: immo et propria impensa illos instituisse, perspicua confirmant prisci æui testimonia: vide PHIL. BEROALDVM et SAM. PITISCVM *not. ad Suetonium vit. Galb. cap.* VI. §. 1.

x) vid. SVETONIVM *vit. Claud. cap.* XI. §. 7. *vit. Ner. cap.* XIII. §. 4.

y) lege *eundem vit. Claud. cap.* LIII. §. 4.

z) adeas IVST. LIPSIVM *de amphitheatro, cap.* XX. et PETRVM FABRVM *agonist. libr.* I. *cap.* 23.

a) conferas CICERONEM *libr.* III. *de oratore cap.* 23.

b) de his ADRIANVS TVRNEBVS *aduersar. libr.* XXIII. *cap.* 28. *tom.* III. *operum* p. 839. et *libr.* XXX. *cap.* 7. p. 879. exposuit.

c) *libr.* VII. *epigr.* 31.

d) vide inscriptionem apud IVL. CAES. BVLENGERVM de *circo rom. cap.* XLIV. p. 686. et adde SVETONIVM *vit. Domit. cap.* X. p. 728.

e) in ludis circensibus aurigæ in varias societates, quas vestium colores distinguebant, erant diuisi. Harum duæ

ſus f) ac multis aliis nihil hic commemorare volo. In re militari ***magiſtri militum*** ac ***magiſtri armorum*** præ ceteris fuerunt, qui amplo iſto ***magiſtri*** nomine vterentur. Illi præerant toti exercitui: ciuiles militum cauſſas cognoſcebant et diiudicabant ac egregiis, quæ paucis contingere ſolebant, iuribus et priuilegiis fruebantur. *g*) Vbi animum ad vete-

duæ initio fuere, ex quibus poſtea quatuor et a Domitiano ſex factæ ſunt: conferas IAC. SPONIVM *miſcellan. erudit. antiqu.* p. 65. ONVPHR. PANVINIVM de *ludis circenſ. libr.* I. *cap.* 10. AVG. BVCHNERVM *notis ad Plin. libr.* IX. *ep.* 6, aliosque a IO. ALB. FABRICIO *bibliograph. antiquar.* p. 642. et SAM. PITISCO *lex. ant. rom. tom.* II. p. 128. commemoratos. Iſtæ factiones populum vniuerſum in varia trahebant ſtudia, quum alter huic; alter alii factioni faueret, id quod multarum contentionum: immo et ſeditionum dedit occaſionem: vide LAEVINVM TORRENTIVM et PHIL. BEROALDVM *not. ad Sueton. vit. Ner. cap.* V. p. 527. De *magiſtris* vero *factionum*, quarum quælibet ſuum præfectum; ſiue magiſtrum habebat, legendi ſunt præter alios iam laudatus ONVPHR. PANVINIVS de *ludis circenſ. libr.* I. *cap.* 2. et IVL. CAES. BVLENGERVS de *circo, cap.* XLIV.

f) de his magiſtris exponit IO. ARGOLVS *not. ad* ONVPHR. PANVINIVM de *ludis circenſ. libr.* II. *cap.* 16. p. 458.

g) *l.* 4. C. *de offic. præf. præt. orient. et illyrici l.* 1. et 2. *de offic. mag. milit. l.* 1. *de exhibendis et transmittend. reis.* Horum magiſtrorum dignitas ſatis etiam ex honorificis, quæ eis attribuuntur, nominibus patet: vide *nouell. Theod. tit.* 14. *leg.* 2. C. *de offic. mag. mil. l. vlt.* C. *de offic. mag. mil. l.* 2. §. 1. C *de offic. præf. prætor. Afr.* Cui imperatorum magiſtri hi ortum ſuum debeant, non admodum certe definiri poteſt. Hoc eſt extra omnem dubitationem poſitum, illos ſub Decio et Diocletiano iam fuiſſe. Tribuni militum his erant inferiores, quumque vtrique *comitum* nomen adſumerent, magiſtri militum *comites maiores*; hi vero *minores* ſunt adpellati. Obſeruandum enim eſt, imperatores viros, ſumma prudentia atque egregiis, rempublicam gubernandi, dotibus præditos, elegiſſe, qui apud ipſos eſſe et, vbicunque erant, eos ſequi debuerint. Hi inde *comites* adpellabantur; ita tamen, vt pro diuerſo, quem quisque in comitatu haberet, ordine et gradu, *comites primi*, *ſecundi* et *tertii ordinis* fuerint: lege HENR. VALESIVM *not. ad Ammian Marcellin. libr.* XVIII. *cap.* 8. p. 223. edit. GRONOVII et CLAVD. SALMASIVM *not. ad Trebell. Pollion. de triginta tyrann. cap.* XI. p. 291. ſq. Quum vero magnum et maxime honorificum exiſtimaretur, inter comites et amicos imperatoris numerari, factum eſt, vt *comitis* nomen

veterum romanorum sacra aduerto, ibidem etiam varii, qui *magistrorum* nomen gesserunt, in conspectum prodeunt. Et vti ipsorum, quæ administrabant, munera *magisteria sacerdotii h*) adpellata sunt; ita multa in veteribus monimentis de *magistris collegii quindecimuirorum sacris faciundis: i*) de *magistris sacrorum k*) in sacris Eleusiniis:

men in honoris titulum successu temporis transierit, illudque quam plurimis, qui illustre aliquod munus administrabant, datum fuerit. Atque hæc etiam est ratio, quare varii magistri suum nomen deposuerint voluerintque, vt vocarentur *comites*, inter quos *magistri sacrarum largitionum: magistri rei priuatæ* et inprimis, de quibus hic loquimur, *magistri militum* sunt referendi. Constantinus primus fuisse, fertur, qui magistrorum horum alterum peditibus; alterum vero equitibus præfecerit. Diuiso imperio, in oriente plures fecit magistros militum Theodosius, vti ex *notitia imperii orientis* constat, ad quam plura de his magistris adnotauit GVIDO PANCIROLLVS *tom.* VII. *thes. ant. rom. Græuii* p. 1410. in occidente vero semper duo manserunt: conferas eundem *libro memorato*, p. 1409. 1485. 1823. et addas SALMASIVM *exercit. Plin.* p. 565. et 568. *not. ad Vopiscum vit. Aurel. cap.* XVII. p. 453. HENR. NORISIVM *cenotaph. Pisan. diss.* IV. *cap.* 2. §. 1. *tom.* III. *oper.* p. 692. et IVL. CAES. BVLENGERVM *de imper. rom. libr.* III. *cap.* 12. HENR. VALESIVM *not. ad Ammian Marcellin libr.* XVII. *cap.* 11. p. 8. edit. GRONOVII et ARNOLD. DRAKENBORCHIVM *not. ad Sil. Ital. libr.* VII. v. 47. p. 341. Horum magistrorum frequens in inscriptionibus mentio fit, plerumque his scribendi compendiis: MAG. MIL. MAG. ML. M. ML. MAG. M. M. M. Postremum MANVTIVS apud SERTOR. VRSATVM *libr.* de *notis rom.* p. 484. de magistro magistratus exponit; sese autem fallit; nec capio, quid per istud munus ipse intelligere voluerit. De *magistro armorum* obseruandum est, eum fuisse magistri militum ministrum atque eundem, qui alibi *numerarius* vocatur: euoluendus est CAROL. DV FRESNE *glossar. med. et infimæ latinitatis tom.* II. *part.* II. 378. et HENR. VALESIVS *not. ad Ammian. Marcell. libr.* XVI. *cap.* 7. p. 131. edit. GRONOVII. Sæpe tamen et magister militum *magister armorum* vocatur.

h) testem habemus IVL. CAPITOLINVM *vit. Ant. philos. cap.* IV. et SVETONIVM *vit. Calig. cap.* XXII. §. 8.

i) lege TACITVM *annal. libr.* VI. *cap.* 12. §. 3. et ad hunc locum IVST. LIPSIVM, cui PLINIVS *hist. nat. libr.* XXIII. *cap.* 11. est addendus.

k) vocantur etiam *patres sacrorum*; a græcis vero ἱεροφάνται. Exponunt de hoc argumento SIGEB. HAVERCAMPVS *not. ad Tertulliani apolog. cap.*

finiis: *magistris augustalibus l)* in coloniis: *magistris collegii augurum: m) Mineruae, n) saliorum, o) Iunonis, p) fani Dianae, q) larum, collegii fratrum arualium, s) magistris Egeriae, t) Feroniae, u) collegii, in honorem Caligulae* instituti *x)* variisque aliis legimus. Tempore imperatorum, mutata pristina reipublicae facie, alii magistri abrogati; alii vero noui constituti sunt. Quem fugiunt in aula imperatorum, sequioris praesertim aeui, *magistri officiorum: magistri aerarii principis;* siue *rei priuatae: magistri scriniorum* eorumque quatuor genera, *magistri* videlicet *memoriae, libellorum, epistolarum* et *dispositionum* horumque *promagistri;* praeter hos autem *magistri admissio-*

cap. VIII. p. 87. IO. MEVRSIVS de *Eleusin. sacr. cap.* XIII. IO. IAC. CHIFFLETIVS *Gemin. tit. sepulcral. tom.* I. *thes. ant. rom.* ALB. HENR. DE SALLENGRE p. 619. IAC. GVTHERIVS *de iur. pont. cap.* VII. ANT. VAN DALE *diss.* IX. *antiquitat. et marmor. illustrand. inseruientibus* p. 20. aliique. *Magistri ordinis sacerdotum dei solis inuicti Mithrae* iidem cum his magistris fuisse, videntur.

l) eorum fit mentio in inscriptionibus apud RAPH. FABRETTVM *inscr.* p. 90. IAN. GRVTERVM *thes. inscript.* p. CCCXX. *n.* 12. p. CCCLXXII. *n.* 7. DCCXXXVII. *n.* 7. CLXXIX. *n.* 3. CXLIX. *n.* 5. Hos eosdem fuisse, qui in aliis inscriptionibus *magistri larum diuinorum:* et *magistri larum Augustorum et genii Caesaris* vocantur, multi non sine probabilitate credunt: adeas SERTORIVM VRSATVM de *notis rom. tom.* XI. *thes. ant. rom* p. 264.

m) vide IVL. CAES. BVLENGERVM de *augur. libr.* III. *cap.* II.

n) horum meminit SVETONIVS *vit. Domit. cap.* IV. §. 12.

o) de his CLAVD. SALMASIVS et IS. CASAVBONVS *not. ad Iul. Capitol. vit. Ant. philos. cap.* IV. et ADR. TVRNEBVS *aduersar. libr.* XXV. *cap.* 17. consulendi sunt: adde inscriptionem apud IAN. GRVTERVM *thes. inscriptionum* p. CCCCLXXXIX. et p. CCCCXI. *n.* 10.

p) legendus est: IAC. GVTHERIVS *de veter. iur. pontif. libr.* I. *cap.* 23.

q) conferas *eundem libr.* III. *cap.* 3.

r) larariis imperatorum praefecti erant hi magistri. Istos in inscriptionibus passim *decuriones larum diuinorum* vocari, multi credunt: consule IAC. GVTHERIVM de *veteri iure pontif. libr.* III. *cap.* 10. et de *officiis dom. August. libr.* III. *cap.* 29.

s) mentio eorum fit in inscriptione apud GRVTERVM *thes. inscr.* p. CXVIII.

t) vide *eundem* p. CCCLIV. *n.* I.

u) *libro memorato* p. XXV. *n.* 12.

x) mentionem huius collegii facit SVETONIVS *vit. Calig. cap.* XXII. §. 8.

missionum: lineæ vestis: vestis priuatæ atque alii? Omnes hi magistri plurimam partem publicis officiis fungebantur; nec eorum paudi in maximo dignitatis atque honoris gradu erant collocati. Possem et de *magistro pecoris*, *y*) qui pecudum curam habebat et pascuis præerat, deque aliis magistris in societatibus ac congressionibus priuatis: *magistro nauis z*) apud mercatores: *magistro conuiuii; a*) siue *magistro;* aut *arbitro bibendi*, deque *magistro obsonii* exponere; nisi

y) vid. SERVIVM *not. ad Virgil. æn. libr.* VII. v. 485. IAC. GVTHERIVM de *offic. dom. Aug. libr.* III. *cap.* 18. PETR. BVRMANNVM *not. ad Val. Flacci libr.* II. v. 536. p. 553. et SAMVEL. PITISCVM *lex. ant. rom. tom.* II. p. 513.

z) postquam romani mercaturæ sese dare ac de hoc vitæ genere mitius, quam ante fecerant, sentire cœperunt, tota collegia mercatorum et negotiatorum Romæ et in coloniis erigere incipiebant, qua de re inscriptiones apud IAN. GRVTERVM *thes. inscript.* p. DCXII. *n.* 3. et 4. et THOM. REINESIVM *synt. inscr. class.* II. *n.* 170. et 178. satis testantur, quibus addere potes CAROL. SIGONIVM de *ant. iur. ciuium rom. libr.* II. *cap.* 10. p. 319. et PETR. BVRMANNVM de *vectig. pop. rom. cap.* IX. p. 130. Inter illos mercatores erant, qui rem nauticam exercebant ac societatem inter se erigebant. Et quemadmodum isti *exercitores* ac *domini* dicebantur, id quod inscriptiones satis confirmant; ita, qui nauibus eiusmodi præficiebantur, *magistrorum* nomen habebant. Plerumque duo magistri vni præponebantur naui, nec alter sine altero quid agere; aut præcipere potuit. Erant plerumque seruilis conditionis. Fusius hoc argumentum tractant: CAROL. SIGONIVS de *iudiciis libr.* I. *cap.* 17. LVD. CARRION *not. ad Val. Flaccum libr.* II. v. 391. p. 196. ed. BVRMANNI, IO. SCHEFFERVS de *milit. nauali* p. 296. et 307. FRANC. OVDENDORPIVS *not. ad Lucani pharsal. libr.* IX. v. 44. p. 676. ARNOLD. DRACKENBORCH *notis ad Sil. Ital. libr.* IV. v. 719. p. 233. PETR. BVRMANNVS *not. ad Petron. cap.* CI. p. 472. IO. GOTTL. HEINECCIVS *synt. ant. rom. iurisprud. illustrant. libr.* V. *tit.* 7. §. 3. p. 260.

a) lege: FR. TAVBMANNVM *not. ad Plaut. pers. act.* V. *scen.* I. v. 18. p. 1165. IVL. CAES. BVLENGERVM de *conuiuiis cap.* XL. CLAVD. SALMASIVM *not. ad Ael. Lamprid. vit. Heliogab. cap.* XIX. ERYC. PVTEANVM *reliqu. conuiuii prisci tom.* XII. *thes. ant. rom. Græuii* p. 248. et FR. RAPPOLTVM *ad Horat.* p. 402. *Magistri cœnandi* dicebantur, qui amicos frequenter conuiuiis excipiebant: vide IO. GEORG. GRAEVIVM *not. ad Cicer. epist. ad famil. libr.* IX. *cap.* 16. p. 42.

niſi hæc a ſcribendi ratione mea eſſent aliena ac tempus me ſilentii meique, cuius cauſſa hanc ſcriptionem ſuſcepi, muneris admoneret, vt ad finem me componerem Tibique de inſigni laudum tuarum acceſſione, quæ facta eſt, deque eximiæ tuæ eruditionis ac virtutis præmiis gratularer. Quod officium eo magis præſtare debeo; quo luculentiora beneuoli tui erga me fratresque meos animi ſigna extare voluiſti. Poſtquam enim pater venerandus abhinc nouem annos tuæ fidei atque inſtitutioni nos commendauit, nihil in Te deſiderari, paſſus es, quod ad partes boni præceptoris pertinebat, nosque non ſolum in primo vitæ curriculo ad doctrinas liberales morumque elegantiam finxiſti; ſed etiam, confecto iſto primæ ætatis ludo, quum ad maiora ſpatia conficienda iuuentus adduci ſolet, ſingularem tuam fidelitatem ac integram mentem multis egregiis documentis comprobaſti. Quam ob rem, vti Tibi iam meo meorumque fratrum nomine animum, gratum et beneficii memorem, ſignifico; ita de magiſtri dignitate, Tibi delata, ſincere gratulor et immortale numen ſancte precor, velit ſua gratia ac benignitate efficere, vt ſtabili felicitate fruaris: ornamentum iſtud ad eius gloriam: cœtus, qui repurgatam profitetur religionem, vtilitatem referas laureaque, quam Tibi comparaſti, ſemper vigentis naturæ vim ſeruet; firma ſtet; nec triſtiori repentino caſu detrimentum capiat viriditatemque ſuam amittat.

Vale atque age feliciter. Ienæ, anno a virginis partu omnibus ſalutari CIↃ IↃCC XXXXV.